

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Ērodotu Alikarnassēos Historiōn Logoi 9, epigraphomenoi Musai

Herodotus

Genevae, 1618

Ctesiae Indicorum excerpta, interprete L. Rhodomano

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1452)

## C T E S I A E

Historici antiquiss. & optimi narrationes abbreviatæ de rebus  
& animantibus in India raris & admirandis à Græ-  
co in Latinum conuersæ

A LAVRENTIO RHODOMANO.

**T**ESIÆ narrationes Indicæ vno continentur libro: in quibus magis Ionica Dialecto vtitur. De Indo fluuio commemorat, qua arctissimus ei alueus, XL. stadiorum latitudinem habere: qua maxime diffusus, ducentorum. Indos perhibet plures fere esse, quam vniuersi sint mortales. De vermi etiam in hoc fluuio agit, quæ sola bestiarum in eo nascatur. Quod ultra Indos nulli habitent mortalium. Quod Indi non pluuiis, sed fluuio humectentur. De Pantarbi lapide sigillari: & quod LXXVII. sigilla & lapillos pretiosos in fluuium deiectos, (qui Bactriorum negotiatoris fuisse) inter se cõsertos ille extraxerit. De elephantis, quibus muri destruuntur. De paruis simiis, quibus IV. cubitorum sunt caudæ. De gallis longe maximis. De aui Psittaco, lingua & voce hominis prædita: cui magnitudo accipitris, purpurea facies & nigra barba. Ipsa autem cærulea est, ad collum vsque, & tunc cinnabari assimilis. fermocinatur vt homo: sed Indice, Græce etiam, si Græce loqui didicerit. De fonte, qui quotannis liquido auto repletur: vnde c. situla quotannis testaceæ hauriuntur. ex testa esse oportet: quia inter hauriendum congelatur aurum, & vasculum frangi necesse est, vt aurum educatur. Fons autem quadrangularis est, ambitu XVI. cubitorum, & orgyiam profundus: & vnaquæq; vna talenti habet pondus. Adhæc de ferro in fontis imo: vnde duos se gladios habuisse Ctesias refert, alterum à rege, alterum à matre regis Parysatide. de cuius generis gladio cõfirmat, quod in terra defixus<sup>1</sup> nubes & grandines & ventos vrentes auerruncet: seque hoc ipsum vidisse ait, bis à rege factitatū. De canibus Indicis, quod magnitudine excellent, & cum leone etiam cõgrediantur. De magnis montibus vnde sarda effoditur & onyx, & alij signatorij lapides. Quod ingens ibi siccitas: & sol decuplo maior videatur, quã aliis in terris, multi-

que æstu ibi suffocentur. Et mare ibidem nihilo minus esse Græco: superficie eius vsq; ad IV. digitos feruida. Ideoq; piscem nullum qui ad feruorẽ propius accedit, viuere posse: sed inferius agere. Quod Indus fluuius per campos decurrens, montes etiam permeet, in quibus calamus nascitur quem Indicum vocant: crassitie, quantam bini viri, extensis vtrinque brachiis, complectantur: altitudine etiam mali in naui quæ decies mille homines vehat. Sunt tamen etiã qui magnitudine superent & deficient; vt probabile est in spaciofo monte. Sexu quoque distinctos esse, ita vt mas non habeat medullam, sitque validissimus, sed femina habeat. De Martichora quadam inter ipsos bestia, quæ facie hominẽ refert, & magnitudine leonem æquat, & colore<sup>2</sup> rutilo cinnabari imitatur. <sup>3</sup> Duplex ei dentiũ ordo, aures & oculi hominis, colore cæsis: caudam habet, qualem scorpius in Epiro, cubito prolixior, in qua etiam aculeus inest. transuersos etiã in cauda stimulos habet hinc & illinc. adhæc in summo fert spiculum non secus ac scorpio. Cui si quis appropinquarit stimulo pungit, citoq; præsentissima mors est. Quod si quis eminus contra pugnat, & ante caudam erigens, vt ex arcu, & retro directe intorquens tela iacit. lactus ad plethri longitudinem pertingit: & quoscunq; ferit, his cerram infert necem, excepto elephanto. Spicula pedis longitudinem habent & latitudinem iunci tenuissimi. Martichora Græcis sonat Anthropophagum, quod vt<sup>4</sup> plurimũ homines necat & cibum facit. Aliis tamen bestiis quoq; vescitur. pugnatq; tam vnguib; quam aculeis, qui iaculando effusi denuo renascuntur. Frequens id genus beluæ est in India. Interficiunt eas homines si elephantibus vectati inde sagittis impetunt. De Indis narrat, quod sint iustissimi & multa habet de moribus ipsorum & statutis. Est ibi de sacro quodam territorio in regione inhabitabili, q; nomine Solis & Lunæ venerentur

<sup>11</sup> Psittacus.

<sup>12</sup> Fons aurifer.

<sup>13</sup> Ferrum ex fonte discina efficitur.

<sup>14</sup>

<sup>15</sup>

<sup>16</sup>

<sup>1</sup> Misit hanc L. Rhodmani versionem ad nos vir nob. & doctus Mel. Haiminsfeldius Goldastus: quam si cum studiosis vtriusque linguæ publice communicarem, factum nostrum iis facile adprobatum iri confidimus. Iuvat enim interpretationes inter se conferre doctorum virorum, à quibus iam triplicem ita horum Indicorum translationem habemus. nec ea res fructu caret, quum vnus raro videat omnia, vel semper ociose hoc agat. Alias ad H. Stephanum fuisse transmissam hanc conuersionem, in dicio nobis eiusdem manus primis duabus pagellis aliquoties in ora adposita. Numeros quoque & quasi breuiaria vt in ora exempli transmissi inuenimus, ita reliquimus.

<sup>2</sup> nebulas ad oram adposuit H. Steph. <sup>3</sup> rubro i; vsp. ad scripserat H. Steph. <sup>4</sup> Triplex *τετρυχοι* dicitur, monabat hic H. Stephani manus. <sup>5</sup> In exemplo mendosius descripto erat vt pluri homines, nos itaq; ue edi iustissimi plurimum.

Ad quod

Ad quod xv. dierum spatio à Sardo monte alicui iter patet, vbi per xxxv. dies quolibet anno sol refrigerat, idq; propter festum, vt citra adustionem illud peragant & reuertantur. <sup>22</sup> Tonitrua & fulgura & pluuiæ non sunt in India, sed venti & presteres multi: qui quicquid corripuerunt, tollunt. Sol etiam post exortum dimidium diei frigus efficit: reliquum supra modum est torridum in plurimis Indiæ locis. Indorum nigredo non à sole est, sed natura. Sunt enim inter ipsos & viri & mulieres candidissimi, licet numero pauciores. Et vidisse se tales ex India feminas duas & v. viros auctor testatur. Fidem narrationi de sole adstruere volens, quod xxxv. dies in India frigore aerem temperet, addit, igni ex Ætæna promanante cum alia euastentur, locum quendam in medio, vbi iusti degant homines, non euastari. Etiam in Zacyntho scaturigines esse pisciferas, vnde pax hauriatur: inque Naxo fontem, vnde merum admodum dulce quandoq; profuat. Et quod ignis sit iuxta Phaselidem immortalis, semper ardens in petra dies atque noctes nec vnda exstinguatur, sed magis inflammetur: sed <sup>23</sup> storea tandem dometur. In media India homines agunt nigri, & nominantur Pygmæi, lingua à ceteris Indis non discrepantes: sed statura perquam pusilla. Nam longissimi eorum binos cubitos: plerique sesquicubitum attingunt. Capillus eis prolixissimus demittitur etiam ad genua vsque inferius. Barbas inter mortales habent maximas. Quare vbi ad iustam excreuere magnitudinem, vestes amplius non induunt, sed capillos pone demittunt ab occipitio infra poplites & barbæ crines pedibus tenus ante protendunt. Hinc <sup>30</sup> denso pilorum amictu totum circumsepti corpus zona eos constringunt, & pro vestitu habent. Inguen præferunt crassum & prolixum, vt & ad talos ipsos pertingat. Compressis sunt naribus & deformes. Pecora horum, oues, boues, asini, magnitudine arietes non multum excedunt: equi etiam & muli & cetera iumenta arietes nihil superant. Sectantur Indorum regem pygmæorum circiter III. millia. Sagittarii enim sunt egregij, iustissimi interim, & ad Indorum leges se conformant. Lepores & vulpes non canibus, sed coruis & miluiis & cornicibus aquilisque <sup>40</sup> venantur. Stagnum est apud illos 1000. stadia in circuitu complexum, in quo, si ventus superficiem non commouet, oleum supernat: per quod lembis vecti, ex medio in vsum suum scaphiis hauriunt. Sesamo tamen interim quoque vtuntur & è iuglandib. expresso: sed lacustre est præstantius. Pisces etiam lacus hic alit. Magna ibidem argenti co-

pia, & argentifodinæ non profundæ. Profundiores enim esse perhibent in Baëtris. Producit simul aurum India, quod tamen non in fluuiis reperiunt, eluuntque, vt fit in <sup>27</sup> Pæto fluuio. Sed crebri & vasti sunt montes, quos Gryphes frequentant, aues quadrupes, quæ magnitudine lupum, cruribus & vnguibus leonem repræsentant. Nigræ ceteroquin in corpore pennæ, sed in præcordiis rubræ. Per has fit, vt aurum illud in montibus copiosum difficulter acquiri possit. Oues <sup>28</sup> Indorum & capellæ maiores asinis: & quaternos pariunt, fenoque vt plurimum. Caudæ his prolixæ, quas matribus amputant, vt admissiõni sint aptiores. Sus autem nec cicur nec agrestis habetur in India. Palmæ apud Indos, harumque glandes triplo grandiores Babylonij. Amnis quidam ex petra mel profundit. Multa dehinc commemorat de iustitia incolarum, & studio erga regem, mortisque contemptu. Fons ibi est, cuius quamprimum hauseris aquam, in casei morem coagulatur. De coagulato hoc contritum si ad trium obolùm pondus dederis alicui cum aqua bibendum, quæcunq; peregerit enunciat. Vritur eo rex si quæstione de reis habenda verum explorare satagit. Confessus, mortem sibi consciscere iubetur, non conuictus suo ipsius testimonio, dimittitur. Indorum nemo dolote capitis, aut oculorum egritudine, aut cruciatu dentium laborat: nec os exulceratur, nec putredini obnoxius est. Ætas illorum supra centum ad xx. & xxx & l. & cc. qui diutissime viuunt, annos se extendit. Serpens apud eos spithamæ longitudine, cuius species purpuram refert pulcherrimam: caput ei candidissimum & nulli plane dentes. Capitur è montibus estuosissimis, vnde sarda cruitur. Non mordet quidem: sed quemcunq; peruouerit, ei membrum illud omnino computrescit. Cauda suspensus duplex edit venenum, electri forma & nigrum: illud è viuo adhuc destillat, hoc è mortuo. Quod è viuo effluxit, si sesami mensura propinetur, confestim enecat. Cerebrum enim his qui bibunt per nares deliquescit. Alterum vero ingestum ad phthisin perducit, & per annum vix interitum maturat. De auicula etiam scribit, quam Dicæron (quod iustum significat) vocant: non maiori quam perdiciis ouis est. Hæc excrementa alui defodit, vt non inueniantur. Inuenta autem si ad sesami portionem bibatur, mane sopor hominem corripit, & absque sensu inde dormit: tandem sub occasum solis vitæ exitum sortitur. Lignum ibi est quod Parebum dicunt, oliuæ magnitudine respondens: sed in regiis tantum inuenitur hortis: nec florem fert, nec fructum:

23 Indi unde nigri.

24 Miracula quaedam naturæ.

25 Pygmæi

26 Stagnum olei.

27 Aurum à Gryphibus custoditur.

28 Pecudes in India maiores.

29

30

31

32

33

34

35 Serpens oleum mirabile.

36 De auicula mortem canente.

37 Radix omnia attrahente.

1 stadia supplui omiffum à scriba. 2 Et hic amanuensis saltem scripserat Pæto Sed et.

xv. autem solas habet radices, easque crassas subter terra. Crassities eius ubi subtilissima est quanta brachii. Hæc radix ad spithamæ modum sumpta, ubicunque applicata fuerit, omnia ad se pertrahit, autum, argentum, æs, lapides, & nihil non præter electrum. Si ad cubiti modum<sup>1</sup> sumpta fuerit, attrahit etiam oues & aues. Hac enim maximam volucrum partem venantur. Quod si efficere velis, ut etiam aqua concresecat, de radice quantum obolus appendit, in chomam inlicito; & congelascet. Idem & vino continget; manumque ipsum tractabis ut ceram: sed altero die liquefcit denuo. cæliacis utile datur remedium. Fluvius etiam est per Indiam labens non magnus, II. stadia latus, cui Indorum lingua Hyparcho nomen, quod interpreteris, qui omnia bona adfert. Hic quotannis per xxx. dies electrum defert. In montibus enim arbores esse aiunt aquis imminentes: (nam passim in montibus aquæ demanant) & certum anni tempus est, quo lacrymas illæ egerunt, ut amygdalæ aut pinus, aut id genus aliæ, ad plurimum xxx. dies in anno: quæ cum in fluuium decidunt indurantur. Arborem vocant Siptachoram, quod dulce est & suaue. inde succinum Indi colligunt. & fructum arbores ferunt racemos, ut vitis; & acini insunt, ut nucibus Ponticis. In montibus illis homines vitam agunt, quibus caninum est caput: & amictus gestant è ferarum pellibus, nec vllam articulatam vocem proferunt, sed ritu canum latrant, & vlulant. Atque ita vocem eorum intelligunt. Dentes illis sunt maiores quam cani: vngues vero similes, licet prolixiores, & plus turbinati. Montesque incolunt ad Indum vsque fluuium. Sunt & hi nigri, & perquam iusti, ut & Indorum ceteri, cum quibus eis consuetudo intercedit. Intelligunt quidem quæ ab illis dicuntur: verum ipsi disserere non possunt, sed latratu & manibus & digitis significant ut surdi & muti. Indi Calystrios nominant, quod Græcis est Cynocephali. Gentis numerus ad XII. myriades se extendit. Ad fontes huius fluuij nascitur flos purpureus quo purpura tingitur non deterius, quam Græca, imo<sup>2</sup> multo floridior est. Creantur ibi bestiolæ, quantus est scarabæus, rubore cinnabatis: quibus prælongi sunt pedes, mollesque sunt ut vermis. Harum ortus est in arboribus electriferis, quarum fructus arrodunt & corrumpunt, ut apud Græcos plathires (volucræ) vitium pestis. His insectis Indi contulis puniceas vestes & tunicas, & quicquid libet, intingunt, & tinctura hæc

melior est Persica. Cynocephali montana incolentes non opus exercent, sed ex natione victitant: quæ occiderunt, ad solis feruorem assant. Et multis pecoribus alendis dant operam, & inter hæc capris & asinis: bibuntque lac merum & aceto temperatum, ex ouibus. Fructibus etiam Siptachoræ unde succinum existit, vescuntur, cum sit prædulcis. His torrefactis sportas confarcinant, ut apud Græcos sit vis passis. Nam rates Cynocephali texunt, quibus impositas illorum sarcinas auehunt: deque fructu eius arboris & purpuræ flore ab ipsis expurgato & de electro c. l. x. talenta singulis annis asportant: & totidem de pharmaco, quod puniceo pannos colere inficit. Mille etiam electri talenta annuè sarie ad Indorum regem perferunt. Cetera Indis transportata vendunt, ad panes, farinas & xylinas vestes comparandum. Vendunt etiam enses, quibus ad feras capiendas vtuntur, & arcus & iacula. iaculandi enim & arcu ferendi solettia excellent: sed bellorum imperiti, quod montes inuios & excelsos incolunt. Munera eis quinto quoque anno rex erogat xxx. myriades arcuum, & tringularum totidem, peltarumque; duodecim, & gladios quinquagies mille. Nec ædes habent, sed in speluncis versantur. Feras non tantum sagittis & tragulis in venatu domant; sed etiam insectando allequuntur &prehendunt. Nam pernitate cursus valent. Vxores illorum in singulos menses lauant semel, cum menstrua eis profluunt, ceteroqui neutiquam. Viri à lauacris abstinent: manus tamen abluunt, & ter per mensis spacium oliuo vnguntur. Vestes non habent densas, sed quam tenuissimas, è simplicibus coriis, tum viri tum mulieres. Ditissimi quidem lineas gestant, sed horum sunt perpauci. Lecti ipsis non sunt, sed tori & stragula rustica. Opulentissimus inter eos censetur cui plurimum est pecoris. cetera bonorum perinde ac vulgaris æstimatur. Caudam omnes gestant supra clunes iuxta mulieres ac viri, non aliter quam canes, sed prolixiorem & magis hirsutam. Cum feminis miscentur in quaternos porrecti pedes, canum more. Nam aliter ipsos coire turpe. Utque iusti sunt, ita longissimæ inter omnes mortales vitæ. viuunt enim annos LXX. & c. nonnulli etiam c. c. Ultra hos vitam producere alios perhibent ad fluuij fontes. Hoc genus hominum nigro est colore, ut & ceteri Indi, nihilque operis tractant: nec frugibus victitant, nec aquis sitim restinguunt; sed numerosis pecorum gregibus alendis student, ut sunt boues, capellæ, oues. Lac ergo bibunt, & præ-

38 Annis electrifer.

39 Homines canino capite. vide Agatharch. cap. 38.

41 Purpura Indorum.

1 Omissa vox sumpta à scriba negligentia, à nobis itaque immissa: quod ideo indicandum, quum & interpres accepta vel aliud saluè surpasse potuit. 2 imo est saltem in exemplo, quod ita suppleuimus, ut editum vides.

*Monstruosi parius.* ter hoc nihil. Infans in lucem editus nates nō habet perforatas, nec feces corporis è posterioribus excernit: sed coxas quidē habet, foramen vero<sup>1</sup> coaluit. Ideo non cacare sed mingere eos perhibent quiddam caseo ad simile, non omnino spissum, sed turbidum. *Absurda digestio.* Postquam igitur mane de lacte biberint, & diei medio iterum hauserint, radicem apud eos dulcem esse tradunt, quæ lac in ventriculo consolidari non sinit. Hac comesta circa vesperam sibi vomitum conciliant, & sine molestia per vomitum cuncta reiiciunt. *43 Asinum in India sylvestris genus singulare.* Sunt præterea Indis asini sylvestres equis pares & quandoque maiores, corpus albi, caput purpurei, cæruleis præditi oculis: quibus unum est cornu in fronte cubitale. Quod inferius in eo est, ad frontem vergens binos longum palmos, omnino album: quod sursum tendit, acutum est, idque puniceo rubore excellit. Reliquum in medio nigrum est. Ex eo pocula conficiunt, unde qui biberint, spasmo (vt narrant) nō corripuntur, nec morbo sacro: adde, quod nec veneno succumbunt, siue ante, siue post ex id genus poculis vel vinum, vel aquam, aut aliud quiduis biberint. Alij quidē asini tum cicures tum sylvestres, & quicquid est solidungulorum animalium, nec talos, nec fel habent: sed hi soli & taxillos & bilem in hepate habent. *Talus.* Talus certe pulcerrimus est omnium quos mihi videre contigit, similis & compar bouino: sed grauis instar plumbi, colore penitus cinnaberino. *Velocitas.* Velocitate hoc animal & robore pollet: & nec equus, nec aliud quippiam persequendo illud assequi valet. Principio tardius currit, sed quo diutius cursum profequitur, eo mirabilius ardorem & velocitatem eius intendit. Alia sane ratione capi hæc bestia non potest: sed quando teneram adhuc sobolem ad pascua secum circumducunt, à numeroso equitatu circumuenti, fugere desertis pullis nolunt, sed cornuum ictu & calcium impetu & dentium morsu pugnant, multosque equos & viros interimunt. Capiuntur tamē & ipsi sagittis & iaculis confecti: nam salua eos vita non ceperis. At carnes propter amaritudinem nimium ab esu sunt alienæ: propter astragalos & cornua tantum experuntur. In fluuio Indorum vermibus nascitur forma, quali in ficibus assolet, *44 Vermium abstractio mirabile ex sudans oleum.* vii cubitorum, interdum plus minus, prolixitate, crassitudine, quanta vix à<sup>2</sup> xvii annorum adolescentis manibus comprehendi queat. Binos habent dentes, alterum supra, alterum infra, & quicquid contigerint dentibus, de-

uorant. Interdiu in fluuij cæno commorantur, noctu exspatiantur. Et quicumque illorum forte offenderit quenquam in terra, vel bouem, vel camelum, morsumque intulerit, correptum trahit in amnem, & totum vorat, præter aluum. Capitur autem hamo prægrandi, cui hædus aut agnus sit alligatus, & catenæ ex ferro accommodatæ. Captum dies xxx. suspendunt vasis subiectis. Tunc pinguis ex eo liquor destillat ad heminas decem Articas. Elapsis xxx. diebus, abiectio vermi, oleum bene conditum soli Indorum regi transportant. Alteri enim aliquid inde vendicari non licet. Hoc oleum cuiusque rei affunditur eam incendit, comburitque ligna & animalia, nec alia materia exstinguitur quam largo & spisso luto. Sunt arbores in India excelsæ, vt cedrus & cupressus: folia palmarum, sed paulo latiora, axillisque carent: florem autem emittunt vt laurus mascula, sed absque fructu. Indi Carpium, Græci Myrorhodam nuncupant. Magna eius raritas. Proflunt inde olei guttæ, quas lana arboribus appensa excipiunt, & in alabastra lapidea exprimunt. Color ei est placide subrubescens, & leuiter spissus: odor autem omnium suauissimus, vt ad v. stadia olere asferment. Soli hoc regi possidere licet eiusque propinquis. Inde Persarum regi Indus transmittit. vidisse testatur Ctesias, & odoratum esse incredibile dictu & opinione maius: vt caseum etiam & vinum omnium dulcissimum experientia magistra se cognouisse ait. Fons est apud Indos v. vlnis in orbem ductus, figura quadrata, cuius aqua intrarupem: triumque cubitorum profunditas vsque ad superficiem aquæ: inde ad fundum tres vlnæ. Lauantur inibi nobilissimi Indorum, viri, pueri, & mulieres. Eo in pedes se proiciunt & vrinantur. Quando igitur insiliunt aqua sursum eos extrudit. Nec vero homines tantum retro iactat, sed etiam quiduis aliud excutit in siccum, viuum sit aut exanime. & quid multa? cuncta quæ iniiciuntur repellit, præter ferrum, argentum, aurum & æs, quæ fundo recipit. Limpha gelida est & potu suavis: magnum vero sonitum edit, ac si aqua in aheno feruens bulliat. Sanat autem hæc aqua vitiliginis & scabiem. Indica lingua dicitur Ballada: quod salubrem veritas. Sunt in montanis Indorum, vbi calamus crescit, homines ad xxx. m. quorum vxores semel per vitam pariunt, & qui nascuntur dentes secum afferunt supra & infra eximie pulcros.

<sup>1</sup> Suppleuimus interim ex aliorum versione coaluit; in exemplo huius interpretationis omissum. Vtinam optimo & eruditissimo amico diuinius viuere licuisset, & sua hæc recensere ipsi. Sed deo aliter visum. <sup>2</sup> Græca saltem de puero æscenni habent, Augustina quida nec aliter Aelian. l. v. de animal. c. i.

<sup>45</sup> De Cay pio fesa Myrorhoda in India.

<sup>46</sup> Fons omnia reiectans præter metallâ præciosiora.

<sup>47</sup> Homines ineunte ætate cani, in senectâ nigri, cetero roqui monstruosi.

pili autem in capite tum superciliis à primo eis ottu sunt cani, femellis pariter ac masculis. Et ad tricesimum ætatis annum quisque hominum illorum albos retinet crines toto corpore: dehinc nigrescere incipiunt. Vbi LX. annos attigerint, omnes eorum pilos in nigrum conuersos est videre. Octonos etiam in vtraque manu digitos habent, & totidem in singulis pedibus, communiter viri & feminæ. Suntque insigniter bellicosi. Ideo Indorum regem quinquies mille sagittarij &

funditores comitantur. Taurulis (si credere fas est) præditi, vt brachia ad flexum cubiti vsque contegant, & totum retro tergum cooperiant, & altera alteram contingat. Hæc dum scribit & fabulatur Ctesias, se verissima litteris commendare affirmat, partim à se visa memoriæ prodi, partim ab oculatis testibus accepta tradi asseuerans. plurima vero his magis admiranda se prætermittere, ne aliena à fide his qui talia non viderunt referre videatur.



EX IIS.